



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 5. Non sine causa paucis à Deo reuelari internum aliorum hominum
statum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Tales sunt multi mortales domi, & in conscientia sua, & coram Deo ac Diuis, sordidi, maculari, contaminati, qui mundo se expoliunt. O si nunc adesset *Paulus Simplex*, & homines obseruaret ad templum confluentes? quantum videret eorum discrimen? Quod ille vidit, nos possumus, non debemus imaginari.

§. V.

Non sine causa paucis à Deo reuelari internum aliorum hominum statum.

Cur enim Diuina bonitas non omnibus, sed tantum sanctis, & quidem paucis, ita oculos aperuit, sicut aperuit *Paulo simplici*? Quia plurimi despicerent eiusmodi peccatores, eosq; execrarentur, & si possent, discernerent. At Sancti non vindictę, sed misericordię oculis aspiciunt eiusmodi vulneratos. Agnoscunt enim, in quantis miseris sint constituti. Siquidem *¶ Paulus simplex*, postquam calamitosum illum hominem, velut in triumpho, à Tartareis Spiritibus, vidit ductum, cœpit cum eiulatu lamentabili torus in lachrymas effundi, & identidem pectus palmis plangere. Et quia de sanctitate certa notus erat omnibus, circumstetit eum mortalium multiudo, tanti

V

luctus

luctus tantæq; lamentationis causam scire cupientium. Metuebant enim, ne vir sanctus, Deo reuelante, aliquid vidisset, quod in omnibus ad templum euntibus, reprehensione dignum esset, orationesq; eorum ingratas efficeret; idq; eò magis, quòd ab eo multis precibus impetrare non possent, ut cum ceteris etiam ipse oraturus in Ecclesiâ intraret. Quali cogitatione vtinam etiam vnusquisque nostrum se examinaret, quoties ad diuina officia est accessurus. Dolemus durare bella, sentimus difficultates, timeamus pericula, instituimus orationes, & non cogitamus quales ipsi simus, qui sumus oraturi. Eodem ore petimus à Deo nobis pacem dari, & bellum eidem indicimus. Quo pacto enim illa lingua in templo Dei flectet, quæ illum paulo prius, ante templi blasphemauit? Ita homines illi non sine causa solliciti fuerunt, ne inidonei ad orationem accederent. Inimicus ab inimico nihil potest fidenter, nisi veniam rogare.

§. VI.

Mira peccatoris poenitentis mutatio.

Iussi igitur illi in templum ingressi sunt ad Missam audiendam, S. Paulo simplici praeforibus templi relicto, ac indefinenter plorante,